

res equidem Troiae victas aut regna fatebor,  
 nobis ad belli auxilium pro nomine tanto  
 exiguae vires: hinc Tusco claudimur amni,  
 hinc Rutulus premit et murum circumsonat armis.  
 sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis 475  
 iungere castra paro, quam fors inopina salutem  
 ostentat; fatis huc te poscentibus adfers.  
 haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto  
 urbis Agyllinae sedes, ubi Lydia quondam  
 gens bello praeclara iugis insedit Etruscis. 480  
 hanc multos florentem annos rex deinde superbo  
 imperio et saevis tenuit Mezzentius armis.  
 quid memorem infandas caedes, quid facta tyranni  
 effera? di capiti ipsius generique reservent!  
 mortua quin etiam iungebat corpora vivis 485  
 componens manibusque manus atque oribus ora,  
 tormenti genus, et sanie taboque fluentis  
 complexu in misero longa sic morte necabat.  
 at fessi tandem cives infanda furentem  
 armati circumstant ipsumque domumque, 490  
 obtruncant socios, ignem ad fastigia iactant.  
 ille inter caedem Rutulorum elapsus in agros  
 confugere et Turni defendier hospitis armis.  
 ergo omnis furiis surrexit Etruria iustis:  
 regem ad supplicium praesenti Marte reposcunt. 495  
 his ego te, Aenea, ductorem milibus addam.  
 toto namque fremunt condensae litore puppes  
 signaque ferre iubent; retinet longaevos haruspex  
 fata canens "o Maeoniae delecta iuventus,  
 flos veterum virtusque virum, quos iustus in  
 hostem 500  
 fert dolor et merita accendit Mezzentius ira,  
 nulli fas Italo tantam subiungere gentem:  
 externos optate duces": tum Etrusca resedit  
 hoc acies campo, monitis exterrita divom.  
 ipse oratores ad me regnique coronam 505  
 cum sceptro misit mandatque insignia Tarchon,